

11 *Datam rectam secare, ut totius & segmenti rectangulum aequale sit reliqui segmenti quadrato.* Quæstio autem hæc rectanguli nomine abutitur pro oblongo. Est autem usus sectionis hujus magnus, ut constabit é 10 p 4, & apud Ptolemæum 1 lib. cap. 9. sed præcipue in totis mysteriis corporum ordinatorum quæ imprimis sectione ista proportionali continentur. Deniq; Christianis quibusdam divina quædam proportio hic animadversa est, ut inde una trinitas, & unitas trina conciperetur, quæ tota sit in toto, & in parte qualibet, totum in magno, totum in parvo, principium unicum pulcherrimum ac beatissimum.

12 & 13 Loquuntur pluraliter quod de uno singulari triangulo sit intelligendum, ut 5 & 47 p 1 loquebantur.

14 *Conversa ejus quædam est in corporum ordinatorum inscriptionibus.*

Si recta perpendicularis diametro est proportionalis inter ejus segmenta, terminatur in periphæria. At ista perpendicularis est media proportionalis quæ docetur 13 p 6, quæque ad hanc generalis est. Quamobrem é quatuordecim propositionibus secundi libri, prima continet rationem rectangulorum decima quarta, quarta, & duodecima, quadrati cum rectangulo & quadrato, nona & decima, quadrati cum quadrato: undecima secunda, tertia quinta, sexta septima, decima tertia, octava oblongi cû quadrato, quæ nec speciatiim distinctæ sunt, nec idoneo ordine dispositæ.

LIBRI DECIMI FINIS.

PETRI RAMI SCHOLARUM MATHEMATICARUM

LIB. XI. IN TERTIVM ELEMENTORUM definitiones.

Decem definitiones circularis geometriæ suo subjecto generi præponuntur, pauló diligentiore logica quàm præpositæ sunt primo libro. Rectius tamen erat suæ quamque speciei præponi.

1 *Aequales circuli sunt, quorum diametri sunt æquales, aut quorû quæ ex centrâ sunt æquales sunt.* Quæ ex centrâ, periphæria est radii. Est autem æqualibus circulis insitû, ut æqualè & radium & diametrum habeât, imó veró æqualia radiorû & diametrorû quadrata, quod etiâ 2 p 12 propositû est: æqualitas itè eadè é periphæriis sumi potest, æquales esse circulos quorû periphæria sunt æquales, quod in aliis figuris rectilineis falsum est: nec enim rectilinea sunt æqualia quorum perimetri sunt æquales. Contrâ circulorû inæqualitas percipitur, quorû nempe vel radii, vel diametri, vel periphæria sunt inæquales, vel à radiis & diametris inæqualia quadrata; æquales autè circuli definiuntur, nõ definiuntur similes, quia omnes omnibus similes sunt. Contrâ autè pauló pôst definiuntur similes sectiones, non definiuntur æquales. Et tamen æqualitas communis est sphæra. Itaq; in rotunda figura communiter adhibuimus, neq; veró definitio hic est, sed proprietatis expositio.

2 *Recta circum tangere dicitur, quæ tangens circum, & producta non secat circum.*